

15. #

DISSERTATIO CHEMICO-MEDICA
INAUGURALIS

De

F E R R O,

Quam

SOLO DEO PRÆSIDE

Ex

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

Excellentissimæ & Experiencissimæ

FACULTATIS MEDICÆ

In Regia, quæ Duisburgi Clivorum
floret, Academia,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in Medicina Honoribus & Privilegiis more
majorum rite & legitime capessendis

Publico quorumvis Eruditorum Examini submittee

JOHANNES ANTONIUS de BLECOURT

MEYDRICA - CLIVENSIS,

Ad diem Octobris, horis locoque solitis.

DUISBURGI ad RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi.
Anno ccccxxxiv.

D E O,
P A T R I Æ,
P A R E N T I,
C O N S A N G U I N E I S,
P R Ä C E P T O R I B U S,
P A T R O N I S,
F A U T O R I B U S
E T
A M I C I S.

Hasce studiorum suorum
primitias

D. D. D.
A U C T O R.



PROOEMIUM.

AQuissimæ leges hujus Academæ postulant, ut illi qui Gradum Doctoratus ambiant, post solita examina edant quoddam Specimen suorum progressuum illudque publice defendant; hanc ob causam animum meum ad scribendam hanc dissertationem appuli; postquam enim per quinquennium in hac Academia Philosophiae & Medicinæ operam dedi & deinde studiorum causa per biennium Lugduni Batavorum commoratus sum, in utraque autem Academia Professores Excellentissimos, Experientissimos & Clarissimos audivi & colui, quorum nomina, utpote orbis notissima, hic non referam, jam Gradum Doctoratus petere in animum induxi meum; acturus autem de Ferro eum servavi ordinem, ut primo capite ferri Historiam, secundo ejus Principia & Proprietates, tertio ejus præparata Medicinalia & quarto ejus Usum præcipue Medicum pertractarem; si autem tibi B. L. nimis tenui oratione & scriptura levi videatur esse hæcce Disputatio, & forte quidam errores irreperserint, ignoscas quæso, homo enim sum & nihil humani a me alienum puto. Faxit DEUS ut omnia feliciter.

(4)

DISSERTATIO CHEMICO-MEDICA
INAUGURALIS.

De

F E R R O.

CAPUT I.
HISTORIA FERRI.

S. I.

Nter dona a Benignissimo Numine usibus
humanis destinata, non insimum obtinent
locum metalla, quorum sex numerantur
perfecta, Aurum scilicet, Plumbum, Ar-
gentum, Æs, Ferrum & Stannum, & hi-
cæ propter eundem locum natalem, pon-
dusque specificum, quo omnia metalla, excepto solo au-
ro, superat, atque opinionem communem, quod scilicet
omnia metalla pro parte ex eo constent, additur Argentum
vivum: sunt autem metalla corpora ponderosa, malleabiliæ,
in igne fluentia, in frigore consistentia: de Fer-
ro, vulgari quidem maxime at in Medicina nobilissimo me-
tallo in præsentiarum acturi sumus: est autem Ferrum me-
tallum auro, argento vivo seu mercurio, argento, plum-
bo, ære sive cupro specificè levius, sed gravius stanno,
coloris albicantis, durissimum & solum ex metallis quod
per magnetem attrahitur. Metallum autem hoc non diu
post primordia mundi inventum est, octavum enim ab
Adamo, Tubalcainum (quem aliqui Vulcanum Ethnico-
rum esse putant) modo æs & ferrum tractasse, sacræ li-
teræ

teræ fidem faciunt: quomodo vero hocce metallum primum inventum sit, fere incognitum est, sed calore sylvorum, a quacunque causa combustarum, metalla liquefacta ex montibus profluxisse atque ira mortalibus innotuisse scribit LUCRETIUS, dum canit Lib. V. rerum naturalium.

Quod superest, as, atque aurum, ferrumque reperatum est

*Et simul argenti pondus, plumbique potestas
Ignis ubi ingentes sylvas ardore cremaras
Montibus in magnis.*

§. II.

Ferrum nomen suum videtur habere a feriendo, quoniam pleraque instrumenta militaria inde parantur: Chemicis vocatur Mars, putaverunt enim prisci Alchemistæ planetam Martem aliquam influentiam in hocce metalli genus habere, eodem etiam charactere Chemici, hieroglyphico suo scribendi modo, ferrum designaverunt, quo Astronomi Martem planetam, scilicet circulo cum specie crucis in superiori parte; cum vero per circulum intellexerint aurum, per crucem autem acidum acre rodens, patet eos in ea opinione fuisse, quod ferrum sit aurum sed cum multo acri conjunctum; horum vero sententiam ego meam non facio, sed in medio relinquo.

§. III.

Reperitur ferrum fere ubique, benefica enim natura utile hocce metallum dedit in omnibus terris pinguibus, in vitriolo viridi, in plerisque fontibus medicatis, ne vel ipsis plantarum & animalium cineribus exceptis, in quibus ferrum latere postea patebit; præcipue vero reperitur in suis mineris lapideis, in montibus Germaniæ & Sueciæ aliarumque regionum, ut & in minera quæ vocatur Mar-

tis Solaris Hassiaca; lapidem hæmatitem & magnetem quoque ferreæ naturæ esse credibile est.

§. IV.

Reperitur primario ferrum in suis mineris, sunt autem hæ mineræ glebæ minerales ponderosæ bruni coloris, vel etiam albi marmoris instar; quomodo autem vena ferri probetur, optime describit Rei Metallicae scriptorum facile princeps GEORGIUS AGRICOLA *in suo latinissimo opere de Re Metallica pag. 194.* Cujus verba digna sunt ut „huc transponantur: Venam ferri experimur, inquit, in „camino fabri ferrarii, eadem uritur, communuitur, la- „vatur, siccatur: magnes in ramentum lotura collectum „imponitur, qui scobem ferream ad se trahit, ea pennis „detersa, catino excipitur: atque magnes usque eo in ra- „mentum lotura collectum imponitur, & scobs detergi- „tur, dum restet quam ad se alliciat: ea autem simul cum „halinitro coquitur in catino donec liquefacat, & ex ea „ferrea massula confletur, quod si magnes cito facileque „scobem ad se traxerit, venam ferri divitem esse conjici- „mus, si tarde, pauperem: si prorsus eam respuere visus „fuerit, ferri paulum aut nihil in se continere. Hactenus ille. Ex hac minera non nisi maximo igne & labore, ad- jectisque debitibus corporibus ferrum educi potest, sit au- tem hoc sequenti modo, primo catino immittuntur car- bones, hisce inspergitur minera ferri comminuta & per- mista cum calce aquis nondum restincta, deinde rursus in catinum conjiciuntur carbones, quibus iterum minera fer- ri cum calce viva inspergitur, & hoc sit tamdiu donec ca- tinus plenus sit; hisce peractis carbones incenduntur, & mediante follium flatu fit vehementissimus calor, quo fer- rum separatur & in unam massam confluit: si vero ferro in minera latenti adhæreat quidquam acidi, illud necessa-

rio

rio summo illo calore dissipabitur, vel cum sale alcalino, qui fit dum carbones comburuntur, sese conjunget & ferrum relinquit, forte sese etiam aliquid de principio oleo-so inflammabili carbonum, cum substantia ferri conjungit & ipsi imprimis mollitiem, duicitatemque conciliat: sed reperitur etiam minera ferri in insula Elba quæ non tanto labore eger, sed tantæ perfectionis est ut simplici & ordinario fabrorum igne in nobile & tractabile ferrum in omnem usum accommodatum fundatur, ut scribit KIR-CHERUS *Mundi Subterranei Tomo II. pag. 222.* si quis autem plura de ferri præparatione cupiat, evolvere poterit GEORGIUM AGRICOLAM, LAZARUM ERCKE-RUM aliasque Metallurgiæ scriptores.

§. V.

Reperitur etiam minera quædam ferreæ naturæ in Hassia prope Almerodam & in Thuringia prope Naumburgum aliisque in locis, quæ vocatur Martis Solaris Hafsiaca; vocata est autem solaris, quoniam quidam Chemici putarunt hanc mineram quidquam auri in se continere: eruitur autem ex terra, forma lapidum subrotundorum; quando autem hi lapides libero aëri exponuntur in pulvrem cinereum fluorescentem dehiscent, saporis & odoris sulphureo vitriolici, ex quo per coctionem & inspissationem verum vitriolum Martis obtineri potest, teste Excel-lentissimo HOFFMANNO in *Observ. Phys. Chem. pag. 195.* Continet præterea hæc minera sulphur, quod per destillationem inde obtineri potest, aliquando etiam particulas æris fecum gerit, & tum usui Medico non est adhibenda.

§. VI.

Continetur etiam ferrum in vitriolo, quod est corpus salinum, concretum ex acido vitriolico & metallo, ferro scilicet aut cupro; vitriolum autem quod ferrum in se con-tinet

tinet viridis coloris est, quod vero cuprum, cœrulei coloris est; utrumque metallum conjunctum habens ex viridi cœruleum est: ferrum autem in vitriolo latens conspicuum fit, calcinatione per summum ignem vitrorum causticorum, ut testatur Excellentissimus HOFFMANNUS in *Observ. Phys. Chem.* pag. 294. Præcipue vero per artificalem vitrioli confectionem ferrum vel cuprum basin vitrioli esse patescit: si enim ferrum in oleo vitrioli debito modo solvitur, & deinde crystallisatur, genuinum vitriolum viride, Martis vulgo dictum, obtinetur: idem cum cupro fit, nisi quod vitriolum tunc sit cœruleum.

§. VII.

Magnetem quoque Martialis prosapiæ esse certum est, partim propter faciem externam similem, partim propter eundem locum natalem, imo KIRCHERUS in *Mundo Subterraneo Tom. II.* pag. 184. scribit Schemnizii in *Hungaria* in vena ferri, ingentis magnitudinis magnetem fuisse repertum, & ex eo quoque magnam quantitatem ferri eductam fuisse.

§. VIII.

Lapidem quoque hæmatiten Martialis naturæ esse ex eo credibile fit, primo quoniam in mineris ferri plerumque reperitur, secundo quoniam in ferrum excoqui potest teste Clarissimo LANGIO *Oper. Med. Tom. I.* pag. 672. Tertio si ferrum plumbum & sal ammoniacus, certa proportione mixta sublimetur, flores inde prodibunt rubri, instar florum lapidis hæmatitis, & residuum omnino lapidi huic simile est, teste eodem LANGIO *loco citato*.

§. IX.

In plerisque, si non in omnibus, thermis & acidulis martiale quid adesse certissimum est, nam ad omnes fere fontes medicatos deponitur ochra, quæ calcinata particulas

las ferreas præbet, deinde etiam si hisce aquis misceatur solutio gallarum, vel florum balaustiorum, inde magis vel minus purpurascunt aut nigrescunt; quæ est proprietas Martis soluti & cum illis solutionibus misti: videantur de hac re Excell. HOFFMANNI *Observ. Phys. Chem.* pag. 255. ut & ejusdem *Dissert. Chem. Phys. Select. Decad. II. Diss. VI.*

§. X.

Ex terra pingui argillacea ope ignis ferrum educi potest, fecit hoc BECCHERUS, putavitque hocce ferrum ex terra & adjectis liquidis per artem productum fuisse; eandem sententiam postea Clarissimus GEOFFROI probare annis est, sed Praestantissimus Chemicus LEMERY ferrum ex terra & adjectis corporibns non produci, sed separari ibi latens, multis rationibus & experimentis contendit; sed hanc ego controversiam in medio relinquo; illud certum est, aliquas ferri particulas ex terra solo igne educi sine adjectis corporibus aliis. Videatur autem de hac controversia l' Hist. & Memoir. de l' Acad. Roy. des Scien. l' An. 1706. 1707. & 1708.

§. XI.

In plantarum cineribus reperiri particulas ferreas, ma-gue demonstrandas, jam dudum a Claris Chemicis patefactum est: imo ipse hasce particulas ab Eruditissimo GAUBIO Praeceptore meo æstumatissimo demonstratas vidi; sumvit ille plantas puras siccatas, lapidi purissimo imposuit & combusit, cineres aliquam diu calcinavit, magneti hisce cineribus admoto, particulæ minimæ ad magnetem acceſſerunt, quæ separatim collectæ, ferrugineo colore prædictæ erant, & ad motum magnetis instar limaturæ Martis movebantur: sed queritur jam an hæ particulæ vitrioli specie solutæ, an vero ferri forma in plantis reperiantur? posterius incredibile est, quis enim credat metallum adeo du-

B rum

rum & ponderosum per tenerima plantarum vascula ascendere posse; prius autem probabilius est, & eo magis quidem, si acidum vitriolicum in plantis reperiatur: quod itidem nobis ad oculum demonstravit modo laudatus GAVIUS, salem nimurum illum crystallinum amarum ab ILLUSTRI BOERHAAVIO Praeceptore meo in cineres usque collendo in Chemia sua descriptum Tom. II. proc. XIV. pag. m. 66. fudit cum carbonum pulvere, particulam hujus massæ fusæ solvit aqua, huic solutioni miscuit acetum destillatum: quid factum? subito solutio turbata est, lac sulphuris generatum, pulvis sulphureus ad fundum secessit, & odor ovorum putridorum inde ortus est: Tartarus vitriolatus cum carbonibus fusus, in aqua solutus, & per acetum præcipitatus, eadem phœnomena exhibet, salque hic tartaro vitriolato non dissimilis est: notum autem est Tartarum vitriolatum ex acido vitriolico & tale tartari compositum esse, hinc manifestum est in hoc sale crystallino amaro esse acidum vitriolicum sive sulphureum: hocce acidum cum parte inflammabili carbonum coniunctum constituit sulphur, hoc sulphur cum parte alcalina hujus salis junctum, in aqua solutum, & per acetum destillatum præcipitatum exhibuit phœnomena præcedentia, quæ etiam oriuntur si sulphur vulgare cum sale tartari eodem modo tractetur. Positum itaque sit, dari ferrum in plantis, sed non nisi combustione earum demonstrandum, & simul adesse in plantis acidum vitriolicum; probabile admodum est, ferrum illud specie vitrioli cum succo nutritio plantarum ascendere; & quando deinde planta comburitur, nascitur ex plerisque plantis sal fixus alcalinus, cum hujus salis parte sece conjungit acidum illud vitriolicum & constituit salem crystallinum amarum, & particulas ferreas per magnetem detegendas relinquit: salem autem fixum alcalinum applicatum

catum vitriolo sibi acidum vitriolicum jungere ex confe-
tione Tartari vitriolati Tacheniani patet, de qua videatur
Consummatissimi BOERHA AVII *Chemia Tom. II. pag. m.*
417. proc. CXLVIII. Objecit quidem huic sententiæ Cl. GE-
OFFROI quod vitriolum hocce in parva etiam quantitate
deberet esse sensibile in succo recenti plantarum, unicum
enim granum vitrioli, in duodecim pintis aquæ solutum, sen-
sibile esse: sed ipsi respondet Clar. LEMERY & experi-
mento demonstrat, quod non semper sensibile sit vitriolum
solutum & cum variis particulis terrestribus, salinis & oleo-
fis confusum, sicuti in succo plantarum fit: ut de hac re
videri potest *l' Hist. de l' Acad. Roy. des Sc. l' an. 1708. pag. 77.*

§. XII.

Ex ipsis cineribus capitis mortui urinæ humanæ calci-
natis ferri particulas separavit ope magnetis Cl. GAU-
BIUS, ut ipse vidi; an vero hæc particulae cum ipsis planta-
rum partibus, in quibus ferrum vitrioli specie latere, pro-
babile esse vidimus paragrapho præcedenti, in corpus
nostrum ingestæ sint, an vero particulae minimæ ferri ex
instrumentis ferreis maxime usualibus abrasæ, vel solutæ
cibis mistæ in corpus nostrum ingerantur, dubium est;
utrumque forte fieri potest: hasce particulas basin calculi
præbere Clar. LISTERUS putavit, sed an hæc sententia
vera sit, jam non disquiram.

CAPUT II. DE PRINCIPIIS ET PRO- PRIETATIBUS FERRI.

§. I.

Inquirendum jam nobis est, ex quibus principiis ferrum constet; principium omnium rerum aquam esse olim THALES MILESIUS Græciae Philosophus statuit; hanc sententiam HELMONTIUS denuo resuscitavit: alii Chemici aquam, spiritum, oleum, salem & terram pro principiis corporum venditarunt: alii rursus salem, sulphur & Mercurium principia corporum esse putaverunt: sed quo minus haecce constitutiva ferri principia esse putemus, obstat primo quod vel ipsi Chemici horum nominum distinctam notionem non habeant: enimvero per haecce nomina non intelligunt corpora, quæ vulgo per illa denotantur: secundo demonstrandum illis incumbet haecce principia in omnibus corporibus adesse, non per hypotheses fictas, sed per ratiocinium unice experimentis fundatum. Sed quænam tandem sunt constitutiva ferri principia? dubius hic haereo & vix aliquid certi de hac re pronunciare audeo, cum de metallorum compositione multæ quidem hypotheses, pauca vero experimenta demonstrativa prostent: illud tamen certum est, quod materia quædam inflammabilis ferri compositionem ingrediatur, si enim limaturæ Martis puræ affundatur oleum vitrioli, aquæ cum quadam parte mixtum, in vitro angustioris colli, limatura ferri cum magno calore solvit, & vapores inflammabiles exhalat, qui admota candela cum magno strepitu accenduntur & in ipso orificio ardent: quod experimentum videri potest apud Excell.

Excell. HOFFMANNUM in *Observ. Chem. Phys.* pag. 169.
 idem adhuc clarus patuit, dum per vitrum causticum
 Tschirnhausianum ferrum fusum pro parte arsit & in fu-
 sum resolutum est, pro parte vero in vitrum abiit; imo
 si ferrum in igne candefiat, pertetuo scintillas emittit & tan-
 dem relinquit massam vix fusilem aut malleabilem, quam
 massam quidam pro altero principio constitutivo ferri ha-
 bent, & terram Martialem vocant; sed licet huic massæ
 quedam ferri proprietates ademtae sint, longe tamen a vera
 terra distat, nam gravitas specifica, character optimus
 metallorum, non longe diversa erit a gravitate specifica
 „ferri: scribit tamen III. BOERHAAVIUS impuriora me-
 „tallorum, ferrum imprimis in artificiosa analysi, præ-
 „bere quid quod ad naturam terræ quamproxime accedit,
 „id vero & parum esse nec perfecte tamen terram exhibere
 ut de hac materia videri potest illius *Chemia Tom. 1. pag. 660.*
 Ex quibus omnibus concludo, in ferro quidem principium
 inflammabile adesse; veram autem terram alterum principi-
 um constitutivum esse, admodum dubium manere, &
 illam materiam, infammabili principio ablato, remanen-
 tem, vix ulli corporum generi similem esse.

§. II.

I. Inter proprietates ferri primum merito obtinet lo-
 cum ejus gravitas specifica, hæc enim metalla a se invicem
 & ab aliis corporibus distinguit optime, nulla enim dantur
 corpora nobis nota, quæ gravitas specifica vel ad levissi-
 mum metallum accedunt, argentum vivum autem solum
 excipiendum erit, si quis illud pro metallo vero non ha-
 beat; est autem ferrum metallorum levissimum, excepto
 solo stanno, gravitas enim specifica ferri est ad aquæ gra-
 vitatem ut est numerus 7852. ad 1000. hæc vero gravitas
 aliquando pro puritate vel impuritate ferri aut aquæ paulu-
 lum variare potest.

B 3

2. Ducti-

2. Ductilitas ferri porro consideranda venit, est autem ferrum satis ductile, ut bracteæ tenues & chordæ in quibusdam instrumentis musicis docent, longe tamen distat a ductilitate auri & argenti, quorum ductilitas maxima est.

3. Duritatem autem ferrum maximam inter omnia metallæ obtinet, quod omnia instrumenta mechanica satis docent.

4. Sonorum quoque esse ferrum, quædam chordæ musicæ sufficienter probant.

5. Elasticitas ferri sed imprimis chalybis admodum magna est, ut patet ex gladiis Damascenis aliisque, elateriis etiam variis, præcipue horologiorum portatilium.

6. Huc quoque Chalybis confectio referenda est, nihil autem aliud est Chalybs, quam ferrum maxime purum, durum, & flexile, sed dum incurvatur & remittitur in priorem situm se restituit, seu elasticum est: Conficitur autem chalybs, dum ferreis baculis in chalybem mutandis interponuntur cornua vel ossa animalium cum cineribus aliisve materiis, & deinde maximus ignis fit, quo per aliquot horas continuato, eximuntur baculi ferrei & malleis tuis in frigidissimam aquam immittuntur: ratio autem hujus rei videtur sequens esse; dum comburuntur ossa vel cornua animalium ferro interposita, nascitur sal volatilis qui secum a ferro abripit omnes partes acidas ferro adhaerentes, adeoque ferrum purius reddit & minus fragile, acida enim ferrum corrodunt & maxime fragile reddunt; quando autem ferrum tunditur malleis, scoriæ ab ipso separantur & ita adhuc magis purificatur; denique cum in frigidissimam aquam immittitur, subito se se contrahit, hinc particulae minimæ necessario plus ad se invicem accedunt, adeoque majorem duritatem nanciscitur: quod autem ferrum aliaque corpora frigore contrahantur & calore expandantur,

dantur, pulcherrimis experimentis demonstravit Celeber-
tissimus BOERHAAVIUS *Chemia Tom. I. pag. 139.* ferrum
etiam magnam durietem acquirit, dum saltem iteratis vici-
bus candescit & aqua frigida extinguitur, sed tum admodum
fragile redditur, sine dubio quoniam frequenti ignitione
spiritus acidi ex ligno vel carbonibus cum ferro sele con-
jungunt & ei fragilitatem inducunt: hinc necessarium est,
si quis chalybem durum & simul flexilem habere velit, ut
in ignitione ejus, res ex quibus alcali generatur, aut quæ
absorbent acidum, interponat: si autem chalybs igne can-
desciat & deinde lente refrigescat, pristinam rursum molli-
tiem acquirit: forte etiam dum chalybs sit interpositu
cornuum & ossium, simul sele quædam particulae oleosæ
ferro insinguant & ejus flexilitatem augent, & dum ferrum
per solam ignitionem & extinctionem induratur, quædam
particulae oleosæ a ferro auferuntur & ita flexilis ejus
imminuitur. Elasticitatem autem Chalybis bene parati
mirabilem esse vel sola elateria in horologiis portatilibus
docent; quænam autem hujus elasticitatis causa sit jam
non inquiram. Observatum autem est non ita rubiginis
obnoxium esse chalybem, quam vulgare ferrum, sine du-
bio propter substantiam chalybis magis compactam: de-
inde etiam patuit, quod chalybi multo melius magnetis-
mus possit communicari quam ferro vulgari, propter ma-
jorem chalybis præ ferro puritatem.

7. Ferrum in igne facile candescit, & dum hoc sit, emit-
tit scintillas igneas, quod cum aliis metallis non accidit,
incalcescit autem solo attritu, imo Illustris BOYLEUS ba-
culum ferreum quadratum & omnino frigidum solis mal-
leorum iictibus adeo incaluisse scribit, ut non solum tan-
gentis manus lacerentur & sulphur impositum fundere-
tur, sed etiam tandem candesceret: difficillime autem fun-
ditur

ditur & diu in igne absque fusione retineri potest, semel autem fusum durius quidem quam antea est, sed etiam fragilis & minus ductile.

8. Fixitas ferri in igne satis magna est, longe enim diutius vim ignis sustinere potest, quam plumbum & stannum, sed tamen tandem comburitur ejus pars inflammabilis & in fumum abit, & reliquum in scorias mutatur, imo calore solari, per vitrum causticum Tschirnhausianum concentrato, in vitrum mutatur.

9. Solvitur ferrum facilissime fere per omnia menstrua; ipsa aqua ferrum in rubiginem vertit, praecipue tamen solvit per acida, tam lenia, quam fortia, sic vina impribus Rhenana, acetum, succi vegetabiles acidi ferrum solvunt, spiritus nitri, spiritus salis aliaque idem praefstant, oleum autem vitrioli ferrum cum maximo calore solvit, adeo ut vitrum in quo sit solutio, si debita copia fiat, manus contineri non possit: idem fit si ferrum cum sulphure tractetur, si enim sumatur magna copia limaturae Martis v. g. viginti quinque libræ & eadem quantitas sulphuris, & inde cum aqua fiat pasta, haecque ad pedis altitudinem sub terra defodiatur, post aliquot horarum spatium terra imposita incipit moveri & inflari, per ipsius rimas vapores calidi sulphureique prodeunt, & tandem viva flamma proficit: quo mirabili experimento, quasi terræ motus & ignis subterraneus produci potest: vid. L' Hisp. de l' Acad. Roy. des Sc. l' an. 1700. ex facili autem solubilitate ferri ejus virtus Medica deducenda est, nam nullum est metallum quod in corpore humano tam facile & sine noxa, dummodo convenienter detur, vel crudum dissolvi potest, ut postea ulterius videbimus: in oleis autem acido orbatis non ita dissolvi potest, hinc ad ferrum a rubigine præservandum, illis illinitur ejus exterior superficies, sic alia menstrua humida

mida non ita ad ferrum accedere possunt; Varios & plerosque quidem colores, dum ferrum per varia menstrua solutum est, produci certum est, ut videri potest apud Egregium Chimicum NEUMANNUM in Tractatu de Ferro.

10. Mirabilis quoque ferri proprietas est, quod solum inter omnia metalla a magnete attrahatur, imo, quod magis est, magnes per affrictum ferro & imprimis chalybi suam vim, tam attrahendi ferrum, quam se ad polos mundi conuertendi communicare potest, quod satis patet ex constructione pyxidis nauticæ, qua inventa, navigatio tantum incrementum coepit: de hac proprietate legi possunt CAR-TESII, GILBERTI, WOLFII, HALLEJI aliorumque Scripta.

11. Color ferri est albicans & splendens, qui quidem facile ab aëre aliisque liquidis accendentibus mutari potest, sed tamen, dum ferrum frangitur, sese manifestat.

12. Cum argento vivo ferrum non ita misceri, seu in amalgama reduci potest, sicut alia metalla, hinc Mercurius instrumentis metallicis non potest tractari, solis ferreis exceptis.

13. Ferrum fusum cum antimonio aut plumbo statim in scorias abit.

§. III.

Cum jam præcipuas ferri proprietates indicavi, quæstio adhuc incidit, an ferrum in aliud metallum transmutari possit: De transmutatione metallorum agere meus jam non est scopus; puto tamen, quod si aliquæ proprietates cuiusdam metalli sint mutatae, non propterea metallum illud transmutatum dici debeat; oportet enim ut metallo transmutando omnes alterius metalli proprietates, nulla excepta, & imprimis gravitas specifica concilientur, antequam transmutatum dici debet: & hoc modo, quantum

C

scio,

scio, nunquam ferrum in aliud metallum mutatum est. Sed scribunt tamen Autores fide digni in Hungaria in quādam fodina esse rivulum, in quem si immittantur bracteæ ferri, has post tres menses in molle sed optimum cuprum conversas reperiri, imo soleam equinam pro dimidia parte huic aquæ immisam, illa parte, qua aquæ immerita fuerat, cupream factam fuisse, altera vero parte ferream manfisse: an hic non sit vera transmutatio? experimenta ita apparuisse concedo, sed veram transmutationem factam fuisse cum KIRCHERO omnino nego, rivulus enim ille, cui bracteæ ferreæ imponuntur, secum gerit solutum vitriolum Veneris, si itaque huic aquæ ferrum immittitur, illico cuprum ad ferrum accedit, ut notum est Chemicis, & aqua acido vitriolico imprægnata ferrum corredit, adeoque hic non sit transmutatio, sed saltem cupri particulæ in locum ferri transponuntur; idem ulterius probavit laudatus KIRCHERUS, imposuit enim filum ferreum certi ponderis vitro hac aqua replete, & post aliquod temporis spatium filum illud a scoriis separatum cupreum factum reperit, inventus vero in fundo vitri scorias ferri fere tanto pondere ac fuerat filum ferreum impositum, ut videri potest in ipsius Mundo Subterraneo Tom. II. pag. 224. ex hocce experimento patet quam clarissime hic non transmutationem, sed saltem transpositionem partium contigisse.

CAPUT

CAPUT III. DE PRÆCIPUIS PRO- DUCTIS FERRI.

§. I.

Producta seu præparata Martialia plurima quidem apud Rei Pharmaceuticæ Scriptores reperiuntur, sed nos præcipua saltem, brevitati studentes, hic describemus; primo autem nobis occurunt illa quæ vocantur Croci Martis, qui sunt pulveres tenuissimi corrosi ferri v. g. ferrugo ab humido aëre soluta, vocatur Crocus Martis, per artem autem fiunt Croci Martis vario modo, & quidem hoc fit

1. Calcinando, dum sola ignis flamma perpetuo ferro applicatur, in superficie tum ferri pulvis tenuis generatur, vel ab igne ipso vel ab acidis spiritibus ligni aut carbonum fossiliū; dari autem spiritus acidos in lignis ex destillatione illorum patet, de qua videatur Cl. BOERHAAVII *Chem. Tom. II. proc. XXXII.* carbonibus autem fossilibus illos inesse expertus est Exc. HOFFMANNUS *vid. ipsius Obs. Phys. Chim. pag. 224.* pulvis autem ille descripto modo paratus vocatur Crocus Martis per solam calcinationem perfectus.

2. Croci Martis fiunt calcinando adjectis salibus, sic cum nitro solo, vel cum nitro & sale, vel cum sale & vitriolo calcinatur & corroditur ferrum in tenuem pulverem; hocce modo fere fit crocus Martis Cachecticus; fit autem dum nitrum cum limatura Martis in crucibulo calcinatur, deinde autem massæ ex crucibulo exemptæ aqua calida affunditur, & quando hæc rubicundo colore tincta est, decantatur

cantatur & filtratur, tunc post viginti quatuor horas pulvis rubicundus subsidet, qui, siccatus, est quæ situs Crocus Martis Cacheoticus. Idem etiam fit, si limatura ferri cum sulphure calcinetur, vel solummodo sulphuri fusio ferrum immittatur, vel ferrum candens sulphure fricitur, ut videri potest apud Clar. BOERHAAVIUM *Chem. Tom. II. proc. CLXX.* eodem modo calx illa ruberrima, quæ calcinando vitriolum Martis, vel inde spiritum seu oleum destillando fit, vocatur Crocus Martis adstringens.

3. Obtinentur Croci Martis solvendo ferrum variis liquoribus & postea ex hisce præcipitando, vel exsiccando, sic Clarissimus MUSGRAVIUS in *Dissertatione de Arthritide Anomala Cap. I.* docet modum conficiendi crocum Martis cum urina; fit autem hic, dum limatura Martis madefie urina, & deinde rursus exsiccatur, hocce opus tamdiu repetitur, donec limatura in rubiginem versa fit, hoc facto, illa massa pulverisata immittitur in aquam puram, tunc gravissimus pulvis in fundum secedit, aqua autem supernatans effunditur & ad siccitatatem evaporatur, tunc habetur pulvis dictus subtilissimus, cono chartæ bibulae imponendus & aqua abluendus, tamdiu donec aqua insipida inde redeat; cum graviore autem pulvere rursus de novo eodem modo proceditur, donec omnis limatura in ejusmodi subtilem crocum conversa fit.

4. Singulari modo fit Crocus Martis Antimoniatus Aperitivus ab Illustri STAHLIO, Viro nuper magno Rei Medicæ & Chimicæ damno demortuo, nomen gerens; fit autem hicce, dum sumitur una pars ferri, & duæ partes Antimonii, hæc in crucibulo simul funduntur, & deinde huic massæ adjicxit una pars sexta vel octava salis tartari, aut sexta pars nitri, & deinde dum massa hæc bene fluit, effunditur in conum fusorium, sebo candelæ prius inunctum,

ctum , habetur sic in inferiori parte massæ fusæ Regulus Antimonii Martialis , in superiori vero parte scoriæ adlunt , quæ compositæ sunt ex sale tartari , sulphure Antimonii & ferro , hæ scoriæ contusæ in frusta , exponuntur in patina per aliquod tempus aëri umbroso , tumque in pulverem fatiscunt , huic pulvri affunditur & miscetur aqua pura tenuis , aqua supernatans effunditur , residuo iterum affunditur aqua , & rursus decantatur , hocque tamdiu repetitur donec aqua limpida inde redeat ; omnis tunc aqua decantata in quiete reponitur , pulvis in fundum aquæ subfidens siccatur & cum triplo nitri debito modo in crucibulo detonatur , hicce pulvis deinde cum aqua pura edulcoratus est Crocus Martis Antimoniatus Aperitivus STAHLII : pulvis crassior qui in primis aquæ affusionibus in fundo remansit , si etiam cum triplo nitri detonatur & deinde aqua pura edulcoratur , vocatur Crocus Martis Adstringens .

5. Antimonium Diaphoreticum Martiale LUDOVI-
CI mihi etiam hoc referre liceat ; sit autem hoc dum unius
parti ferri , in crucibulo ignitæ , adduntur successive antimo-
nii crudi partes duas , & inter fundendum massa continuo
spatula agitatur , ut antimonium in scorias inde separandas
abeat , si vero adhuc quidquam antimonii nondum in sco-
rias redacti restet , addenda adhuc est limatura Martis
ignita , postea hæ scoriæ ex ferro & antimonio compositæ
pulverislandæ sunt , & pulvis cum triplo nitri detonandus
& edulcorandus lege artis , estque tum quæsitum Antimo-
nium Diaphoreticum Martiale LUDOVICI : in hac ope-
ratione dum sit detonatio , nitrum cum sulphure Antimo-
nii desflagrat , & deinde ablatum , ferri & Antimonii cal-
cem relinquit .

§. II.

Jam nobis porro agendum erit de præparatis Martis in forma salina, inter ea describemus:

1. Vitriolum Martis, quod fit dum limatura ferri oleo vitrioli aqua diluto solvit, hæcque solutio coloris pulchre viridescentis, per conum ex charta bibula factum trahicatur, deinde evaporatur ad cuticulam & in loco humido & frigido reponitur, concrescunt tunc in fundo vitri crystalli salinæ, coloris viridis, hæque crystalli vocantur vitriolum Martis: Idem ex limatura Martis cum sulphure calcinata, ut & ex minera Martis Hassiaca obtineri potest, dum scilicet prius instituitor coctio, deinde filtratio, post evaporatio ac denique crystallisatio: vitriolum etiam excoquitur ex minerali, sed non semper solum ferrum mixtum habet, sed etiam cuprum, sed si tale vitriolum, quod utramque metallum secum gerit, debeat converti in vitriolum pure martiale, solvendum est aqua & huic solutioni injicienda sunt multa frusta ferri, & deinde coctio est instituenda & frusta illa ferri interim sæpe agitanda, hocce facto, acidum vitriolicum, quod prius solutum gerebat cuprum, jam ferrea illa frustra solvit & cuprum in fundum præcipitatur, deinde filtratione, evaporatione & crystallisatione lege Artis procedendum est, tuncque vitriolum Martis purum obtinetur.

2. Nobis hic occurrit productum salinum Martis, scilicet Flores Salis Ammoniaci Martiales, seu Flores Martis; ad hunc processum autem sumuntur limaturæ Martis puræ & florum salis Ammoniaci siccorum partes æquales, vel etiam limaturæ Martis pars una & florum salis Ammoniaci partes duæ, miscentur & conteruntur diu in mortario vitro, deinde cucurbitæ magnæ & latæ induuntur, huic applicatur alembicus cum excipulo & commissuræ glutine

glutine farinaceo obturantur, tum committitur cucurbita furno arenæ & arena usque ad limbum alembici obruitur, fit tum primo lenis ignis, sic prodit spiritus volatilis alcalinus inque excipulum destillat, deinde per octo horas igne urgetur majori, tumque adscendit in interiore superficiem alembici materia salina variorum colorum, quæ omnibus refrigeratis eximenda & ab aëre humido, quoniam alias deliquescit, præservanda est: & sic obtinentur quæstæ flores; in hac autem operatione sal ammoniacus aliquam partem ferri soluti secum in altum rapuit, residuum autem admodum muratum est a corpore ferri & aëri humido expositum, in liquorem aureum adstringentem deliquescit, qui a quibusdam vocatur oleum Martis per deliquium.

3. Huc quoque Ens Veneris BOYLEI quodammodo referendum esse puto, si enim fiat ex vitriolo Martis, vel ex vitriolo quod & ferrea & cuprea naturæ est, etiam de ferro participabit; ad confieendum autem hocce Ens, vitriolum ad rubedinem calcinatur & edulcoratur, hujusque & florum salis Ammoniaci sumuntur partes æquales, & eodem modo sublimando proceditur ut cum floribus Martis.

4. Quoniam etiam lapis Hæmatites Martialis indolis est, ut supra capite primo vidimus, Flores lapidis hæmatitis ad hanc quoque classem pertinere existimo, parantur autem eodem modo ac Flores Martis, ex lapidis Hæmatitis & Florum salis Ammoniaci partibus æqualibus.

§. III.

Restat jam adhuc, ut de Tincturis ex ferro paratis agamus; propter facilem autem Martis solubilitatem Tincturarum magna est copia, præcipuas vero descriptissime fatis erit, occurrit autem hic:

i. Tin-

1. Tinctura vitrioli Martis ZWELFERI; hæc autem præparatur sequenti modo, sumuntur vitrioli Martis & Terræ foliatæ tartari partes æquales, conteruntur & miscentur in mortario vitro, & per aliquot dies reponuntur, deinde huic massa affunditur in vitro vale sufficiens quantitas spiritus vini, sive Tinctura extrahitur, quæ deinde decantata reservatur.

2. Describenda nobis hic est Tinctura Vitrioli Martis LUDOVICI; hæc conficitur dum sumitur pars una Vitrioli Martis, partes quatuor crystallorum tartari & partes viginti aquæ pluviae, hæc mista coquuntur in vase vitro, saepe agitando, tamdiu donec aqua pro maxima parte exhalaverit & massa consistens relista fuerit, deinde hæc massa inditur phialæ Chemicæ & affunditur spiritus vini vulgaris ad eminentiam quatuor circiter digitorum, tunc per unam alteramve horam coquitur, & sic parata habetur hæc lenissima sed usu celeberrima Tinctura.

3. Si sumitur limatura Martis & solvitur in succo pomorum Borsdorffianorum, & deinde coquitur & inspissatur ad consistentiam extracti, & deinde diluitur vel succo pomorum, vel vino quodam generosissimo, ad consistentiem Essentiæ paulo spissioris, aut inde Tinctura cum spiritu vini extrahitur, vocatur tunc hoc productum Tinctura Martis cum succo pomorum Borsdorffianorum.

4. Paratur etiam Tinctura ex Minera Martis Hassiaca, supra descripta capite primo §. V., ad hanc autem conficiendam minera illa rore majali madefacta, exponitur aëri per aliquot dies, deinde ros majalis ei affunditur, qui inde extrahit Tincturam flavescentem, quæ est quæsita Tinctura Martis solaris Hassiaca: JUNGKENIUS vero in Lexico Chimico Pharmaceutico alium modum hanc Tincturam parandi describit.

5. Huc

5. Huc referri etiam potest solutio ferri in aceto facta, si enim uni parti ferri viginti partes aceti affundantur & haec coquantur simul in Phiala Chemica, tunc obtinetur solutio ruberrima & adstringens; eodem modo, si uni parti ferri affundantur partes duodecim vini Rhenani generosissimi, & simul digerantur per quatuor dies, calore fere ebullientis aquæ, habetur solutio ferri nigra & usū præstantissima.

6. Denique plures Tincturæ & solutiones parari possunt ex Marte, sic ex colcothare vitrioli Martis, cum quantitate vigecupla spiritus salis marini dulcis confici potest Tinctura aurea: sic quoque ex floribus Martis & ex residuo a destillatione horum florium, cum Alchohole extrahi potest Tinctura: Cum scoriis Reguli Antimonii Martialis idem, mediante Alchohole fieri potest. Ex vitriolo Martis & floribus Martis cum spiritu Cochleariae Tincturam Martis Antiscorbuticam parare docet JUNCKENIUS, in *Lexico Chimico Pharmacaceutico*: imo variis etiam succis vel decoctis vegetabilium, ut & vinis Medicatis ferrum pro parte solvi potest: Dantur præterea adhuc multa præparata Medicinalia ferri, ut Electuarium Chalybeatum, pilulæ Martiales SYDENHAMII, Extractum Martis MYNSICHTI, aliaque, quæ quoniam non adeo usualia sunt, hic non describam, sed videri possunt abunde in Dispensatoriis aliisque libris. Ultimo tandem curiosum experimentum cum ferro institui potest, ut ejus videatur quasi vegetatio, aut arborificatio, quod fit dum Mars solvitur in aqua forti & oleo tartari per deliquium præcipitatur, in vase quod in superiori parte latius est quam in inferiori, ut hoc descripsit CL. LEMERY in *l'Hist. de l' Acad. Roy. des Sc.* l' Année 1707.



D

CAPUT

CAPUT IV. DE USU FERRI IMPRI- MIS MEDICO.

§. I.

Jam postquam Historiam, Principia, Proprietates & Præparata Ferri consideravimus, de Uſu ipsius nobis adhuc erit agendum: ſuprājam modo vidimus, ferrum admodum commune eſſe metallum & in multis terræ plagiſ in magna copia reperiri, ſimiliter Uſus ejus maxime communis eſt; fed antequam ad uſum Medicum tranſeam, liceat mihi, in transiſu, pauca de uſu ipsius Mechanico adjicere: vix autem ullum dari Artificium Mechanicum ad quod ferrum non adhibetur, cuilibet notiſſimum eſſe puto, imo vix commode ſine ferro vivere poſſemus. Multa imo pleraque instrumenta, quibus Merallurgi in terra viſceribus ad mineralia & metalla eruenda utuntur, ferrea ſunt, adeo ut reliqua omnia metalla in terra abſcondita, vix nobis prodeſſent ſi ferro careremus: Res rudiſta, ma- xiſtam vičtus copiam nobis præbens, instrumentis ferreis nullo modo carere poſſet, quomodo enim agricola arva coleret, ſi vomer aliaque instrumenta ferrea iſpi deeſſent? quomodo messem plenis ariftis divitem ſine falcibus com- mode demeteret? In Re Bellica, hodierno tempore terra marique ad tantum perfectionis culmen deducta, plurimiſ instrumentis ferreis opus eſt, & illa quæ non ſunt ferrea, tamen vix, niſi mediante ferro, confici poſſent, adeo ut in bello fere omnis in ferro ſalus ſit: venatus, pifatura, alia- que opificia, quibus varia vefimentorum geuera, ad corpus noſtrum a frigore aliisque incommoditatibus defendendum conficiun-

conficiuntur, ferro indigent: Ars culinaria absque ferreis vasis aliisque instrumentis vix subsistere posset, imo si ferrum nobis deesseret, quomodo carnes in usum nostrum discederemus? eas enim vel manibus dilacerare, aut fero laniare cadavera morsu, necesse esset: Architectura nulla ferre esset, si ferrum nobis non suppetaret, adficia enim, quæ corpus nostrum tuerunt a frigore, calore, aliisque aëris injuriis, non sine ferro extrahuntur: naves, quibus mercatura per totum terrarum orbem fit, sine ferro construi non possunt. Ex hisce dictis & adhuc dicendis concluso, vulgare hocce metallum, a Benigno Authore Naturæ nobis concessum, omnibus aliis metallis, usu immediato, præponendum esse.

§. II.

Postquam jam pauca de Ferri usu Mechanico vidimus, videamus etiam quemnam in aliis Artibus & Scientiis usum habeat. Geometria practica instrumentis opus habet, quæ vel ferrea sunt, vel non nisi mediante ferro fabricari possunt: Physica, cum hocce saeculo tot veritates per experimenta, variis machinis instituta, detexerit, vix ullam harum machinarum esse puto, quæ sibi hocce metallum junctum non habeat, vel sine eo confici possit: Res Botanica cum requirat plantarum culturam, non commode, si ferro careremus, coli posset: Anatomia cultris aliisque instrumentis ferreis indiget, si enim Mercurius in vasa injiciendus sit, quo artificio subtilissimæ vasorum ramificationes in conspectum prodeant, tubulis ferreis opus est, vidimus enim supra, Mercurium cum aliis metallis sese miscere, Ferrum autem ejus miscelam respuere: Chemia quoque ferro carere non potest, ferrum enim non solum requiritur ad multa instrumenta, ad quosdam furnos, ad retortas ferreas, sed etiam in ipsis destillationibus magnam utilitatem

præstat, si quis enim Mercurium a cinnabari separare ve-
lit, poterit hoc commode cum limatura Martis peragere;
nam si cinnabaris cum ea remisceatur & per retortam de-
stilletur, limatura ferri fæcæ cum sulphure cinnabaris uniet,
& Mercurius solus transibit; ad Regulum Antimonii Mar-
tialem conficiendum, aliasque operationes quoque ferrum
adhibetur: Chirurgi operationes multas, sine instrumentis
ferreis, perficere non possunt, varii enim generis cultri,
ferræ, aliaque instrumenta ex Chalybe confecta requiri-
untur; ad sanguinem etiam in haemorrhagiis vulnerum sisten-
dum, vitriolum Martis calcinatum adhibetur.

§. III.

Tandem etiam consideremus ferri usum & utilitatem
in Medicina Practica, antequam autem hoc fiat, quæstio
oritur, an Medico usu præferendum sit ferrum an Chalybs?
Vidimus jam supra Capite secundo, Chalybem esse ferrum
quidem purius, sed etiam longe durius & non tam facile fo-
libile ac est ferrum vulgare, quo facilius autem in corpore
ferrum solvit, eo meliorem effectum præstat, ut statim
videbitus, hinc ferrum purum Usu Medico Chalybi præ-
ferendum esse, asserere non dubitamus. Triplex autem in
ferro memoratur vis, nempe Absorbens acidum, Adstring-
gens & roborans, & Aperitiva: Absorbentia acidum vo-
cantur corpora non acria, quæ acidis mixta, illorum acri-
moniam tollunt; tale vero absorbens esse ferrum eviden-
tissimum puto, si enim oleo vitrioli aqua diluto, aci-
do certe omnium ponderosissimo & acerrimo, injiciatur
limatura ferri parva copia, fit effervescentia, & si pergitur
injiciendo usque dum non amplius ebullitio fiat, liquor
remanens tunc suam acrimoniam amisit & sapore styptico
& subdulci præditus est. Virtus Adstringens & Roborans
vocatur illa, qua cohæsio & vis contractilis fibrarum au-
getur;

getur; hanc autem virtutem Marti inesse, vel ipsius soluti-
fapor satis docet, dum enim ejus solutionem ore contine-
mus, linguam, labia aliasque oris interni partes constringi
sentimus. Vis aperiens vocatur illa, qua obstrunctiones re-
solvuntur & humores viscidi attenuantur; hacce vi quoque
ferrum ejusque preparata praedita esse, ex experientia mul-
torum Practicorum certum est, dummodo non in omnibus
sed in illis saltem obstrunctionibus detur, quæ a nimia quiete
& humoribus viscidis oriuntur; sed mirum cuiquam videri
posset Martem, ut jam vidimus, adstringendi vi pollen-
tem, vires aperientes exercere posse, & non potius ob-
structiones creare; sed si recte rem consideremus, ex ipsa
vi adstringente & roborante vim aperitivam pro parte de-
ducere, haud difficile erit; dum enim ferrum solutum per
corpus distribuitur, omnes fibræ roborantur, hisce autem
roboratis, motus humorum fit fortior, in illis autem ob-
structionum generibus, ubi Martialia convenire scripsi, nul-
lum majus datur remedium, quam motus humorum auctus,
huc accedit quod vi sua salina, quum non nisi solutum san-
guinem intret, vasa stimulet & humores viscidos attenuet,
sicque effectum resolventem præstet; si etiam sanguis
nimis tenuis sit, aucto motu & robore vasorum, illum par-
tim condensabit ut debitam consistentiam acquirat, partim
specie sudoris vel transpirationis evacuabit. Pro triplici
itaque ferri vi, in tribus etiam morborum generibus ferrum
dari poterit, tanquam Absorbens in morbis a cruditatibus
acidis primarum viarum originem ducentibus, conveniet; vi
adstringente & roborante, morborum a nimia debilitate &
laxitate oriundorum remedium est; virtute aperiente in
morbis ab humoribus nimis viscidis & obstrunctionibus ab illis
ortis conduced: In pueris itaque aliisque ægris, qui propter
debilem motum & aëscensia assumta, cruditatibus acidis in-

primis viis laborant, in Chlorosi virginum, in malo Hypochondriaco & Hysterico similibusque morbis convenit
 Martialis dare; ab hisce enim debito modo & tempore datis, pulsum antea debilem in fortiorum, colore antea
 pallidum in vividiorem mutari, observavit Experientissimus
TIMMERMANNUS Præceptor meus omni honoris
 cultu prosequendus, ut in collegiis practicis ab ipso percepis:
 sed consideremus jam, an in dictis morbis ferri crudi pul-
 vis, an vero inde præparata magis convenient? si cruditas
 acida sit in primis viis, nec debilitas nimia nec nimis te-
 nera ætas obstant, Martem crudum omnibus præparatis
 præferendum censeo; nam si cruditas acida adsit, a Marte
 soluto acidis, effectum quidem roborantem, nullum vero ab-
 sorbentem, exspectare possumus, ferrum enim tunc acidis
 saturatum est nec illa amplius destruere potest; sed ferrum
 crudum tunc datum, prius aciditatem corriget & deinde ro-
 borabit fibras; nec a crudo Marte, bene dato, se unquam
 malum effectum vidisse scribit Celeberrimus Practicus SY-
 DENHAM in *Dissertatione Epistolari*: sed si adsit nimia de-
 bilitas, & tenerimo ventriculo ferreum hocce medicamen
 ingerere quis timeat, poterit præscribere roborandi &
 aperiendi scopo præparata leniora Martis v. g. Tincturam
 Vitrioli Martis Ludovici, Martem in vino Rhenano solu-
 tum & similia, & ad acidum absorbendum interponi pote-
 runt leniora absorbentia, vel cibi & potus acescentes pro-
 hibendi sunt: in Malo Hypochondriaco, si viscera adhuc
 sint bona & morbus a vita sedentaria & debilitate vasorum
 originem sumferit, Martialis optime convenient, & si æger
 temperamentum frigidum habeat & cruditatibus acidis
 laborare videatur, ferrum crudum conveniet; sed si acidis
 cruditatibus non vexetur & temperamento calido prædi-
 tus sit, præstat illud dare solutum in vino medicato vel
 alio

alio modo: in hoc autem malo, visceribus fere corruptis, Martialia vix locum habere puto, propter majorem enim calorem & motum, quem faciunt Martialia, viscera facile destrui possent, aliquando tamen adhuc convenienter aquæ Medicatæ: Si autem morbus Hypochondriacus originem habeat a labore nimio & siti æstuante coelo tolerata, cum tunc humorum liquidissima sint dissipata & reliquus sanguis crassus & Artrabilarius evaserit & solida satis rigida sint, Martialia non convenient; sed si prius solida sint laxata, humor peccans resolutus & evacuatus, tunc Martialia lenia dare, mihi non incongruum videtur, ne morbus propter debilitatem denuo recrudescat: in plerisque morbis dictis convenient etiam Aquæ Medicatæ Martiales, bona methodo datæ; de quorum virtutibus & ingredientibus speciatim videri possunt Excellentissimi HOFFMANNI aliorumque Auctorum scripta. In hæmorrhagiis nimirum Martialia interne dare mihi non videtur congruum esse, parva enim dosi data non sistent sanguinem, si autem magna dosi dentur, mali inde sequentur effectus: in omnibus etiam morbis ubi est vasorum rigiditas, calor & motus nimius, humores ad alcalescentiam inclinant, Martialia fugienda esse ex præcedentibus liquet, in omnibus ergo febribus acutis continuis & putridis Martialia exulare debent. Ex præparatis Martialibus vitriolum Martis Illustris BOERHAAVIUS ad vermes necandos commendat, *Chemia Tom. II. Proc. CLXII.* Flores salis Ammoniaci Martiales ad Rhachitidem quoque ab ipso commendantur, ut & Ens veneris BOYLEI. Crocum Martis Aperitivum STAHLL in mictu & vomitu cruento & in mensium fluxu nimio convenire, eumque febrium intermittentium motus sistere, repetita dosi datum, ac cortice Peruviano securiorem esse scribit Cl. JUNCKERUS in *Tabulis Medicis.*

Crocum

Crocum Martis cum urina factum magni facit in Arthritis
de Cl. MUSGRAVE. Antimonium Diaphoreticum Martiale
Cl. LUDOVICI laudat in Ictero, Cachexia & Scabies.
Doses Martialium universaliter ponit non possunt,
sed pro ratione morbi, ætatis, temperamenti, sexus
aliarumque circumstantiarum a Medico dijudi-
cari & præscribi debent.

COROLLARIA.

- I. *Aërem in sanguine latentem, non per pulmones, sed ci-
bis potibusque mixtum per vasā lactea & ductum Chy-
liferum sanguinem intrare puto.*
- II. *Dantur spiritus animales seu liquidum nerveum.*
- III. *Plenaria fermentatio nulla sit naturaliter in corpore hu-
mano.*
- IV. *Infusum herbe Thee, ut & fabarum Coffe (que sunt fru-
ctus Jasmini Arabici, Castaneæ folio, flore odoratissi-
mo) hodie adeo usitatum, in hisce regionibus septentrio-
nalibus nimio usū maxima damna creare affirmo.*
- V. *Venesectio sepe est summum roborans.*
- VI. *Saliva & succus pancreaticus non sunt humores acidi, nec
bilis alcalina est.*
- VII. *Nec hi tres humores sunt excrementiorum.*
- VIII. *Omnes morbos ab acido & Alcali derivare absurdum
esse puto.*

F I N I S.

AD

AD NOBILISSIMUM

CANDIDATUM

ACCLAMATIO VOTIVA.

PLurima quæ nobis doctrinæ signa dedisti
 Nec minus ingenii judicique Tui
 Qui tua Teutopoli, pariter Leidæque probasti
 Dona animi, multis concelebrata modis,
 Expedit en tandem pulchræ jam præmia palmæ
 Et bene pro meritis danda brabæa comis,
 Quæ Medicina tibi, quæ porrigit augur Apollo
 Ipsemet, auspiciis meque favente Tuis.
 Sedule BLECOURTI, Juvenis dignissime famâ,
 Digne pio plausu, quem tibi turba parat.
 Gratulor ex animo, tibi pectore gratulor imo,
 Adspirent coeptis Numina sancta Tuis.

Sic votet

GOTTLIEB EPHRAIM BERNER
 M. D. Ejusque Prof. Ord. Acad.
 Cæsareæ Leopoldino - Carolinæ
 Nat. Cur. Collega, d. Mnaseas Fac.
 Med. h. t. Decanus.

BLECOURTI! Juvenum pulcherrime, laudibus amplis,
 Ut reor, ex merito concelebrandus eris.
 Ingenui mores, & blanda modestia frontis
 Ingeniumque sagax sunt Tibi grande decus.
 Quin & amor studii Medici magnique laborum
 Profectus animum perpoliere tuum.

E

Testis

Testis Ego, Testis BOERHAAVIUS, alter Apollo,
 Ac hodie Batavi gloria magna soli!
 Auribus haufisti patulis qui dogmata nostra,
 Attenta semper sedulitate vigens.
 Multaque nocturnis nox lucubrata Camoenis
 Auxit Poeoniæ cognitionis opes.
 Ecce! satis nitide tua Dissertatio FERRI
 Virtutes Medicas cum ratione docet.
 Gratulor ex animo! quid gaudia nostra moraris?
 DOCTORIS MEDICI rite capesse GRADUM:
 Det DEUS, ut Clarus dicaris in arte medendi,
 Et celebrem Praxin publica Fama beet!
 Sic erit, ut FERRUM Tibi commutetur in AURUM,
 Et dabit immensas AUREA PRAXIS opes.

OKT 2151
 Gratulabundus deproperabat
 JOH. ARNOLD. TIMMERMANN,
 Medicus & Professor Regius.

QUi cupid optamat studiis contingere metam,
 Doctor & esse cupid, tribuat sua tempora Musis,
 Nec temere vanis insumat lusibus annos:
 Sic honor & laudes & gloria magna sequentur.
 BLECOURTI! Soboles defuncti digna Parentis,
 Vix dum bis denos ætas tua computat annos,
 Et specimen scribis, quod præmia larga meretur.
 Gratulor ex animo, TE nunc superasse labores,
 Ac TIBI fausta precor vitam COGNATE per omnem
 Pergito nunc famam Doctis extendere factis,
 Laudibus & Patriæ claras superaddere laudes;
 Hoc faciens pulchras sine fine merebore laudes.

Esto

Esto diu felix, & vivito Nestoris annos!
Macte tuis animi virtutibus! hoc precor, esto
Ægrorum sperata salus, ductore Jehovah!

Pauca hac boni ominis causa in hono-
rem D. DOCTORANDI, apponere
voluit, debuit Patronus

HERM. DE BLECOURT,
S. M. C.

Nobilissimo & Doctissimo

D. DOCTORANDO,
COGNATO AMICISSIMO,

De Ferro docte differenti.

M Ira Galeni Medici potestas
Institum rebus penetrans vigorem
Pæonis Magni studii beatis
Imperat oris.

Ecce jam ferri faber est Apollo.
Nota naturæ rigidæ facultas;
Præparat solers Chymico tenore
Dulce levamen.

Laudis an nomen meditetur amplum?
Splendor hic felix. Celebris cupido,
Si lucri flagrans avido calore
Ingeniosus?

Nate, qui præsens, Claria palestra,
Artis edocetæ specimen recludis.

E 2

Quos

Quos tibi fructus solidi laboris
Quæso, peroptas?
Sit tibi curæ; Placeat Patroni,
Sive pollutis monimenta famæ,
Sive doctrinæ redditus secundos

Appetat, ardor.

Laurus offertur. Tribuent Camœnæ
Auream messem meritis paratam.
Mente sincera, geminante testor
Gaudia voce.

J. L. ROCHOLL, S. M. C.

Aurea vah! blandæ cesserunt tempora pacis,
Ferreus & Mars jam vah! ubicunque furit.
Millia *Mars* hominum *Ferro* jam cædit acuto,
Milleque morborum est fons & origo simul.
TV vero *Ferro* longe scis rectius uti,
Docte BLECOURT, claros inter habende Viros.
Scilicet ex *Ferro* medicamina condere nosti
Dextra, quibus tolli vulnera multa queunt.
Mars igitur *Ferro* morti dum singula tradit,
TU mortis *Ferro* pellere tela cupis.
* *Hinc fies toto mox notus in orbe*, manebunt
Hinc laudes notae post obitumque Tuæ.

* JOHANNES ANTONIUS DE BLECOURT

Per Anagramma

Hinc notus in orbe, notae laudes.

Hæc pauca Doctissimo Dn. DOCTORANDO, Cognato suo Dilectissimo, amica manu posuit

P. C. ROCHOLL, S. S. Th. Stud.


01 A 6603

ULB Halle

003 092 291

3





Farbkarte #13



B.I.G.

DISSE^{13.}TATIO CHEMICO-MEDICA
INAUGURALIS

De
F E R R O,

Quam

SOLO DEO PRÆSIDE

Ex

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

Excellentissimæ & Experientissimæ

FACULTATIS MEDICÆ

In Regia, quæ Duisburgi Clivorum
floret, Academia,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in Medicina Honoribus & Privilegiis more
majorum rite & legitime capessendis

Publico quorumvis Eruditorum Examini submitter

JOHANNES ANTONIUS de BLECOURT

M E Y D R I C A - C L I V E N S I S ,

Ad diem Octobris, horis locoque solitis.

DUISBURGI ad RHENUM,

*Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi.
Anno cœl*1734*.*